

NOTÆ IN

gladium ab altari accipere solitos, ad significandum se esse Ecclesiæ filios, & ad illam defendendam paratos. Quod etiam Hispani equites adhuc factitare dicuntur.

*Nullus infamis.*) Latè probavimus lib. De infamia, cap. 25. nu. 12.

*In taberna meritoria.*) Imò plerunque in agris assignatis milites bene meriti ætatem exigebant.

Pag 122 *Exauctorabat.*) Polycratic. cap. 13. *Quare cingulo priventur milites, & quod exauctoratus non habeat aliquod cum gladio telove commercium.*

*Multis privilegiis.*) Juvenalis Satyra ultima:

*Quis numerare queat felicitis præmia Galle Militiæ?*

*Militia cœlestis.*) De qua Polycrat. ibidem cap. 8.

*Et litterata.*) sive togata. De utraque militia, togata & armata, extat Tractatus Henrici Breulæi.

Pag 123 *Vtrum Doctor militi.*) Extant peculiare tractatus. De *precedentia militis & Doctoris*, Christophori Lanfranchini, Signoroli de Homodeis, Augustini Sueffani. Vide singularia Pauli Fulci verbo, *Arma*. Mihi placet iudicium Valentiniani Imp. apud quem erant ἐν ἰσῆ δεξι-  
*σπέια τοῖς στρατηγῶν οἱ φιλοσοφῶντες*, ut ex Themistio infra annotabimus ad pag. 130. Neque hoc loco mittendum est notabile apophthegma Sigismundi Imp. à quo Georgius quidam Fiscellus legum Doctor, equestris militiæ insignia cum suscepisset. in Synodo Basiliensi consultante de rebus arduis Sigismundo, dubitante illo utrum Doctoribus congregatis in uno loco, aut Equitibus in alio se adjungeret, cum tandem ad hos inclinare videretur. *stultè agis*, inquit Cæsar, *qui literis militiam præferas. Nam ego milites una die mille fecerim, Doctorem mille annis unum non fecerim*, quod Æneas Sylvius annotavit. Quanti verò idem Cæsar litteras faceret, Wimpelingus testis est in Epit. German cap. 48.

*Milites Imperii.*) Quod etiam vult Fr. Zoannetus in tract. illo ad Rubric. De militari testam. cap. 1. & 2.

CAPUT XIII.

Pag 124 *Aquila Imperii signum.*) Multa de hac Plinius lib. x. cap. 4. Pierius in Hieroglyphicis. Hadr. jun. 3. Animadvers. c. 2. Achmetes in